

[60:] Explica pondera vocabulorum in his verbis: „Et in Iesum Christum Filium eius vnicum, Dominum nostrum.“

„Iesus“ est nomen proprium huius personae et significat saluatorem. Quo nomine etsi in collatione aliorum nominum significatur in primis respectus finalis liberatio-  
nis seu redemptionis ecclesiae, tamen, cum seorsim ponitur, omnia beneficia huius personae 5 comprehendit.<sup>1</sup> Sic etymologiam exponit angelus Matth. 1: „Vocabis nomen eius Iesum, quia saluum faciet populum suum a peccatis ipsorum.“<sup>100</sup>

„Christus“ est nomen officij et significat vncum, congruit cum voce Messias et tribuitur huic personae, quia est summus sacerdos et rex ecclesiae.

„Summus sacerdos“ est, quia est persona immediate missa a Deo ad patefactionem euange- 10 lij, ad placandum iram Dei suo sacrificio et ad precandum pro nobis habens testimonium, quod exaudiatur, per quam et exhibentur bona promissa in noua testamento. Haec descriptio sumi-[61:]tur ex officijs sacerdotis, quae sunt quatuor: docere, sacrificare, orare, benedicere.

„Rex“ vero est, quia colligit sibi ecclesiam per ministerium euangelij omnibus mundi tem-  
poribus et liberat eam a peccato et aeterna morte et sanctificat eam dato Spiritu sancto, vt sit 15 aeterna ipsius haereditas, et mirabiliter eam defendit et regit in hac vita, vt vere inuocet et agnoscat exaudiri preces, ac celebret Deum et resuscitat ex morte ad vitam et gloriam aeter-  
nam. Haec descriptio sumitur ex definitione regni Christi et alludit ad officia regnum, quae sunt liberare subditos ex potestate hostium, regere populum certis legibus et defendere bonos a malorum iniurijs. 20

---

<sup>1</sup> comprehenduntur: F, G.

---

<sup>100</sup> Mt 1,21.